28 Vos videtis
~~Videtis~~ Pharaonis fastum et superbiam,
Qui contempsit Deum celi regnantem in secula.
Dei populum affligit et tenet in carcere.
Vos coniuro propter Deum: iam nolite parcere.

~~Hinc incimantis multis~~
Hinc incitamentis claris multis similibus
Inardescunt omnes corde, irritantur viribus,
Offerunt corde devote[a] Deo ~~Domino~~ penitentiam
Et communicant vicissim Cristi eucharistiam.

~~Universi creatorem~~
Universi creatorem laudant unanimiter
Habentes vitam atque mortem utrumque similiter.
~~mortem utrumque similiter,~~

Invocabant nomen tuum, Iesu bone, celitus,
Ut turbares paganorum ~~triplices~~ exercitus.

Iam armati petunt terram cum parvis naviculis,
Et temptabant maris fundum cum astis longissimis.
Se demergunt ut leones, postquam terram sentiunt,
Aquilis velociores super ostes irruunt.

Et excelsi Agareni invocant Machumata,
Qui conturbavit orbem terre de sua perfidia;
Inimicus trinitatis ~~atque~~ sancte fidei,
Negat Iesum Nazarenum verbum Dei fieri.

Sed fit clamor Pisanorum altus et nobilior,
Nam intonuit de celo sonus terribilior.
Michael cecinit tuba ad horum presidium,
Sicut fecit pro dracone cum commisit prelium.

[a] vote cod.